

gratiosa sit sine praesentia substantiali, vel quod secundum substantiam non proximior sit piis quam impiis, sed solum secundum gratiam v. *Consens Repet.* de Deo punct. XIV. Lutherus in Psalm. LI. Tom. 3. W. f. 528. Sicut Deus verè piis proximiori ratione vel propiori approximatione, quam impiis, adest, ita & Spir. S. datur secundum substantialem suam praesentiam & secundum eam nobis speciali ratione adesse & secundum eandem quoque recedere dicitur. Non ut ipsa DEI substantia aut immensa illa DEI indistantia, propinquitas aut adessentia, in se mutetur, quod repugnat, sed quod intimior illa substantialis adessentia variet & mutetur ratio. Neque hic gemina fingitur substantia, una infinita implens caelum & terram, altera finita secundum quam ab impiis recedit vel ad pios accedit, ut enim non gemina sit substantia Filii Dei, infinita & immensa secundum quam est intra mundum & extra mundum, & finita, secundum quam est in carne finita assumpta, non extra carnem, sic nec duplicatur vel multiplicatur ipsa Dei substantialis propinquitas, quando aliter dicitur adesse impiis, aliter piis.

Confirmat,
Thes.

§. 3. Argumentamur: 1. Quicumque ad aliquem venire & mitti dicitur & apud eundem mansionem facere atque habitare, persona sit oportet, ut ei adsit vel adveniat personali vel substantiali approximatione, Atqui Deus ad pios vel fideles suos &c. E. Major ex suis constat terminis. Min. prob. Joh. XIV. 23. Jacob. IV. 8. 1. Cor. III. 16. VI. 19. Item 2. Praesentia λόγος ad carnem est intimior approximatō quàm ea, quæ est DEI extima ad creaturas. Praesentia λόγος, ad carnem est substantialis. E. Quædam substantialis praesentia est intimior quàm, ea quæ est Dei ad creaturas. Sicut a. λόγος intimius adest suæ carni, quàm aliis creaturis; sic etiam DEUS intimiori approximatione adest piis, quàm impiis.

§. 4. Neque B. Feurbornius primus est illius sententiae inventor, neque improbatur ea B. Gerharo; Hic laudat eos, qui ita statuunt, eo ipso, dum dicit eos exactè tenere τὸ ῥητὸν Exeg. 188. p. 295. Ille antecessorem habet B. Menzertum, uterque Patres atque alios, quos v. apud Celebr. Dn. Calov.

Tom. 2. p. 630. 650.

F I N I S.

Coll. diss. A. 214, misc. 56